

vires posse divinam essentiam intuitive videre eadem claritate tum extensiva tum intensiva, qua eam sub lumine gloriæ nunc vident beati; et hanc visionem nihilominus negaret esse beatificam ex eo præcise quod per solius naturæ vires habeatur; is merito rideretur ab omnibus, tanquam vel ignarus terminorum, vel minus connexe discurrens; ergo a *pâri* cum dicamus, vel ex nostris principiis sentire debeamus, posse hominem naturaliter elicere actum fidei, specificè tam perfectum, quam est actus fidei supernaturalis; incohærenter negamus cum esse salutarem, eo quod per solius naturæ vires eliciatur.

R. 1^o. Argumentum laborat falso supposito duplici; *primo*, quia supponit primarium conceptum nostrum supernaturalitatis esse philosophicum et non theologicum: *secundo*, quia supponit actum naturalem fidei esse æque certum ac supernaturalem; cum quidem in naturali actu habeatur connexio objecti materialis cum formali, non autem connexio actus cum objecto; atque hinc possit existere actus naturalis, quin existat ejus objectum formale, quod implicat respectu fidei supernaturalis.

R. 2^o. *N. Cons.* *Disparitas* est, quia in *primo* casu haberetur formaliter unio cum Deo *quidditative* accepto; unde qui, impossibili supposito admissio, negaret illam visionem beatificam supernaturalem, recte ex utroque capite rideretur: sed qui in *secundo* casu haberet quidem perfectionem actus, in respectu ad hoc vel illud objectum consistentem, necdum tamen haberet perfectionem intrinsicam ad unionem cum Deo *quidditative* sumpto terminatam; cum nulla inter utramque connexio necessaria ostendi possit, ut satis probatum est.

23. *Nec dicas* 5^o. Paulus 1. Thess. 2. v. 13. *Gratias agimus, inquit, quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Ex quo sic arguitur: accipere verbum Dei, ut est verbum Dei et non hominum, est credere revelata a Deo propter ejus dicentis auctoritatem; sed ita accipere verbum Dei, juxta Apostolum, est opus gratiæ divini proprium; ergo sic credere soli gratiæ et non naturæ proprium est aut convenit. Et sane si daretur naturalis acceptio verbi Dei, ut est verbum Dei, divisio inter acceptionem verbi Dei ut verbi Dei, et ut verbi hominum non esset adæquata, sed ambigua et æquivoca.

R. *D. m.* Juxta Apostolum accipere verbum Dei, ut est verbum Dei, operatione supernaturali Dei, est opus gratiæ divini proprium *C.* sine tali operatione *N. m. et Cons.* Distinctionem hanc ipse Apostolus suggerit; cum non simpliciter scribat: *accipere verbum auditus Dei, sicut est vere verbum Dei,* sed addat: *qui operatur* (supple ex Corn. a Lapide *fidem*) *in vobis, qui credidistis,* vel potius ex græco τοῖς πιστεύουσιν, *qui credidistis.* Unde quamvis permittatur divisio esse inadæquata, non tamen est ambigua vel æquivoca propter adjectam sufficientem explicationem.

24. *Nec dicas* 6^o. Ut actus sit meritorius debet procedere ex *motivo* supernaturali, ut patet in attritione, quæ non est utilis ad salutem, nisi sic procedat; ergo. *Conf.* Homo debet esse liber ad eliciendum actum supernaturalem, et propter actionem supernaturalem est laudabilis: neutrum

autem fieri posset, si supernaturalitas sumeretur a *principio*, et non a *motivo*; cum homo nequeat discernere inter principia sui actus, neque eligere, ut principium supernaturale influat vel non.

R. *D. A.* Debet procedere ex motivo supernaturali, secundum se, ex natura et intrinsece tali *N.* supernaturali, extrinsece et denominative tali, ab illustratione scilicet aut actu fidei, cui substat, et a quo prævie attingi debet *C.*

Ad Conf. R. N. m. Ad hoc ut homo sit liber ad actum supernaturalem, non requiritur ut sciat se habere principia supernaturalia, sicut nec ad libertatem pro actu meritorio exigitur conscientia hominis de statu gratiæ; sed satis est quod, principio supernaturali instructus, ex propria electione ponat actum, *qui*, non *qua*, procedit ex illo principio. Similiter homo non est laudabilis ex eo quod eligat actum supernaturalem præ naturali; cum hoc non nisi *affective* tantum facere possit, eo quod inter utrumque non discernat: sed quod ponat actum qui est supernaturalis, cum facit quantum potest, et potentiam, quam habet, applicat ad actum supernaturalem. Neque huic obest quod qui actum supernaturalem elicit, sit præmio æterno dignus, quo non est dignus eliciens actum naturalem; unde inferatur laudabiliorem esse aliquem ex eo quod eliciat actum supernaturalem. Nam præmium non commensatur præcise libertati, sed etiam et vel maxime dignitati ac excellentiæ tum operis tum personæ operantis, quibuscum proportionem dicere debet: unde fametsi non sit liberum homini gratia sanctificante pollere, nec laudabilius etiam agat eum, quam sine gratia sanctificante; majus tamen præmium meretur operans gratia sanctificante instructus. E contrario laudabilitas commensatur dignitati operis, in quantum præcise est libera.

ARTICULUS III.

QUID ET QUOTUPLEX SIT HABITUS SUPERNATURALIS?

25. *Nota.* Cum de habitu supernaturali sermonem instituamus, manifestum est nos loqui de virtute. D. THOMAS ex S. AUGUSTINO 1. 2. q. 55. a. 4. *Virtus est, inquit, bona qualitas mentis, quæ recte vivitur, quæ nullus male utitur.* Sic sumpta dividitur in acquisitam et infusam. *Acquisita* est, quæ per frequentatos actus generatur; ejusmodi sunt omnes habitus naturalium scientiarum et artium: *Infusa* est, quæ a Deo infunditur absque prævio actu exercitio; et de hac loquitur S. THOMAS in data definitione, dum addit: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Dicitur autem virtus alia per se infusa, alia infusa per accidens. *Infusa per se* est, quæ nullis naturæ viribus nec ulla actuum repetitione acquiri potest: *Infusa per accidens* est, quæ quidem actuum frequentatione acquiri potest, sine ea tamen hic et nunc a Deo infunditur; cujusmodi erant artes et scientiæ Adami, quas alii homines per frequentatos actus addiscunt, ipse vero sine his a Deo obtinuit. Porro virtutes aliæ dant facile posse, aliæ simpliciter posse: *Dare facile posse* est ita concurrere, ut quidem sine virtute possit actus elici, sed non faciliter, quam facilitatem operandi virtus seu habitus tamen affert: *dare simpliciter posse* est ita concurrere, ut sine virtute (nisi omnipotentia extrinsece applicata defectum suppleat) actus non possit elici; et quamquam ejusmodi virtus habeatur, non tamen propterea actus eliciatur facile.

26. *Dico I.* Habitus seu Virtus supernaturalis est virtus per se infusa; dans simpliciter posse, et elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales.

Explic. et Prob. Dicitur 1°. *Virtus*; per quod tanquam genus convenit virtutibus acquisitis et per accidens infusis. 2°. *Infusa*; per quod differt ab acquisitis. 3°. *Per se infusa*; per quod discrepat ab infusis per accidens. 4°. *Dans simpliciter posse*; per quod differt iterum ab acquisitis, prout dant facilitatem. 5°. *Elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos etc.*; per quod secernitur ab omnipotentia extrinsece applicata. 6°. Denique per τὸ *infusa per se* indicatur ejus perfectio intrinseca absoluta excedens naturam: per τὸ *dans simpliciter posse et elevans potentiam ad actus supernaturales eliciendos* exponitur ratio principii et perfectio ejus respectiva ad actus, superans naturam atque ad unionem cum Deo pertinens; unde distinctio ejus a virtute naturali manifestatur.

27. *Dico II.* Virtus supernaturalis communiter dividitur in theologiam et moralem; accuratius tamen in theologiam et non theologiam.

Explic. *Theologica* est virtus supernaturalis directe et immediate respiciens Deum: *non theologica* est virtus supernaturalis hoc respectu carens. Subdividitur postrema in virtutem intellectualem et moralem. Virtus supernaturalis *intellectualis* est, quæ pertinet ad intellectum et rerum supernaturalium cognitionem pertinentium; ut sunt sapientia, scientia etc., quibus etiam accensetur *prudencia*, quæ licet morum sit directiva, proprie tamen moralis non est; cum non respiciat honestatem moris qua bonam, sed qua veram: *moralis* est, quæ pertinet ad voluntatem se laudabiliter exercentem in fuga mali, et amplexu boni qua talis; uti sunt justitia, temperantia etc. An porro dona Spiritus sancti, de quibus mentio facta in Tr. de Gr. num. 150., debeant accenseri virtutibus non theologis, et distinctam ab intellectualibus ac moralibus speciem constituent, disputant *Scotistæ* et *Thomistæ*, illis negantibus, his cum S. TH. 1. 2. q. 68. a. 1. affirmantibus; nobis hanc litem componere æque non vacat, ac inquirere utrum præterea dentur alii habitus infusi, quorum nomine a *Scotistis* intelliguntur octo beatitudines ac fructus Spiritus sancti, qui tamen a S. TH. ibid. q. 69. distinguuntur a virtutibus tanquam actus.

QUÆRES: *An facilitas relicta post frequentatos actus supernaturales virtutum supernaturalium, sit supernaturalis vel naturalis?*

28. *Nota.* Tria hic ex Philosophia supponimus. 1°. Facilitatem, quæ post frequentatos plures actus sentitur circa similes et objectum idem habentes eliciendos, esse habitum, qui inclinare ad hos actus dicitur et facilitare, quatenus suo influxu minuit conatum potentiae et sublevat. 2°. Habitum hunc probabilius stare in speciebus rememorative; per quas auctas scilicet et intensiores quia representatur objectum vividius, ejusque bonitas et dulcedo experimentaliter jam percepta proponitur, difficultas tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis minuitur; eo quod intellectui minus laborandum sit in præsentia vivaciorum specierum, et voluntas nostra ultro

propendeat in ea, quæ delectabilia semel iterumque experti sumus. 3°. Variam esse Auctorum opinionem tum circa naturam tum circa causam specierum rememorative.

29. *Dico I.* Habitus ejusmodi nec est habitus prior supernaturalis factus *intensor*: nec habitus novus supernaturalis et *per accidens* infusus.

Prob. 1ª. pars. Virtus per se infusa etiam intensa non dat facile, sed tantum simpliciter posse; ergo habitus supernaturalis prior *intensor* factus non est habitus ille facilitans. *Ant.* patet tum ex communi omnium sententia; tum quia virtus per se infusa etiam intensa ex suo conceptu præcise est potentia superaddita facultati naturali, de se insufficienti ad actum producendum; unde facilitatem, quæ connaturaliter supponit posse, non habet aut præstat.

Conf. Ex recepta a plerisque omnibus opinione, intensa una virtute supernaturali intenduntur et reliquæ; ergo et acquisita facilitate ad actus unius virtutis, daretur etiam facilitas ad actus aliarum supernaturalium; quod experientia docet esse falsum.

Prob. 2ª. pars. Talis habitus est supernaturalis vel quoad *substantiam* vel quoad *modum*: Si *primum*; est ejusdem speciei cum habitu per se infuso; ac proinde habitus per se infusus est superfluous: non enim amplius est necessarius ad actum quoad *substantiam*, neque quoad *modum*, scilicet facilitatem. Si *secundum*; ergo habitus hic est in se naturalis, et sic speciale nihil assertur; imo nec assignari potest, ex quo sit supernaturalis quoad *modum*.

Conf. Habitus ejusmodi v. g. charitatis acquisitus vel manet in homine post peccatum, vel non: Si *primum*; ergo post peccatum homo æque erit habitualiter dispositus ad actum supernaturalem et beatitudinem, ac si remaneret habitus per se infusus, ut constat ex ratione priore. Si *secundum*; ergo post peccatum non sentitur amplius ea facilitas, quæ antea fuerat; quod experientia repugnat.

Si ais 1°. Actus naturales generare habitum naturalem; ergo et supernaturales supernaturalem; præsertim cum actus supernaturales sint *præstantiores* naturalibus. 2°. Actus supernaturales continere in sua virtute speciem supernaturalem, utpote imaginem sui vicariam; ergo et habitum tanquam a speciebus rememorative indistinctum. 3°. Nihil habere repugnantiae, quod idem principium virtutem addat potentiae in se insufficienti, et simul facilitatem ad actum tribuat: sicut non implicat ut lumen gloriæ tribuat potentiae insufficienti virtutem, et simul necessitatem imponat.

Ad 1. R. *Disparitas* liquet ex rationibus datis, et præterea in eo versatur, quod in naturalibus potentia sit complete potens, adeoque habitus accedens tantum adsit ut faciliat; qui si abesset, potentia adhuc simpliciter actum producere valeret: e contra vel habitus acquisitus adest cum habitu per se infuso vel sine illo: Si *primum*; ergo cum non tribuat tantum facilitatem, sed etiam posse simpliciter, habitus per se infusus erit superfluous: Si *secundum*; ergo daret facilitatem, ut assertur, et non daret; quia dans facilitatem præsupponit potentiam completam et simpliciter posse, quod hic non fieret.

Ad prob. R. Non semper, quod in entitate perfectius est, habere potentiam

producendi sibi simile, liquet ex angelo, cum tamen ignis imperfectior ignem producat.

Ad 2. R. Transmissa hac species rememorativas causandi explicatione, *D.* continent in sua virtute speciem positive supernaturalem, et utpote imaginem adæquatam sui *N.* continent speciem connotative supernaturalem, et imaginem tantum inadæquatam *C.* Species relicta vix unquam est adæquata et repræsentans omnia prædicata: imo sæpe tam remissa, ut nonnisi prædicatum genericum repræsentet. Itaque *species*, de quibus nos loquimur, sunt repræsentativæ duntaxat prædicatorum actui naturali communium, minime autem ipsius supernaturalis cum nunquam etiam recordando cognoscamus actus fuisse supernaturales: unde has *species* positive supernaturales negare oportet; præsertim cum damnati etiam retineant *species* ejusmodi rememorativas, quibus tamen nihil supernaturale videtur concedendum præter characterem sacramentalem, cujus indelebilitatem SS. Patres asserunt.

Ad 3. R. *Disparitatem* esse similiter patet ex datis hactenus rationibus. Præterea *necessitas* in visione beatifica oritur ab evidenti ac immediata representatione objecti in se verissimi et optimi: *facilitas* vero illa nec ortum habet ab intensione habitus supernaturalis prioris; quia cum intenso etiam habitu ejusmodi stat sæpe difficultas operandi: nec a supernaturalitate habitus acquisiti; cum *facilitas* maneat etiam in peccatore, cui tamen supernaturalis habitus negatur ab omnibus.

30. *Dico II.* Habitus ejusmodi est naturalis; quin tamen cum quibusdam debeat dici generatus ab actibus naturalibus, qui semper cum actibus supernaturalibus simul eliciantur.

Prob. 1^a. pars. Habitus acquisitus ex probabiliori non distinguitur a speciebus rememorativis: sed hæc species etiam ab actibus supernaturalibus natae sunt solum naturales, tanquam naturaliter debitæ naturæ rationali; ergo.

Conf. Habitus naturalis acquisitus potest inclinare potentiam ad actus *objective*, licet non *entitative*, similes actibus supernaturalibus, ut patet ex dictis n. 19.: potest etiam facilitare potentiam, ita ut minore labore et conatu hæc influat in actum; cum difficultas tota, quam experitur potentia, oriatur ex ejus indifferentia et carentia assuetudinis versandi circa tale objectum; ergo habitus naturalis sufficit.

Prob. 2^a. pars. Quia actum naturalem una semper elici, dum fit actus supernaturalis, gratis omnino asseritur, sine ulla necessitate aut utilitate, ac contra omnem experientiam, solumque ad declinandam difficultatem.

Conf. Totus potentiae conatus elevatur ad actum supernaturalem; ergo non elicitur actus naturalis; præsertim cum nequeat dici eum elici *ex imperio voluntatis*: quia differentia actus supernaturalis a naturali ante operationem non cognoscitur, quod tamen fieri deberet: neque etiam electio ejus nobis est libera. Dicere autem actum naturalem elici simul cum supernaturali *ex sympathia voluntatis* vel actus, est quilibet pro libitu fingere, et rem obscuram obscuriore nomenclatura velle illustrare.

Si ais 1^a. Species rememorativas esse ab actibus supernaturalibus tanquam principio effectivo, et consequenter supernaturales; cum supernaturalitas

habeatur ab effectivo principio. 2^o. Phantasiam etiam producere phantasma simile cognitioni spirituali, dum hæc ab intellectu producitur.

Ad 1. R. T. Ass. N. seq. Ad prob. D. Supernaturalitas actus habetur a principio effectivo per se requisito, et ut supernaturale est *C.* per se non requisito, neque, ut supernaturale est, agente, quale sunt actus supernaturales respectu habitus hujus *N.*

Ad 2. R. *Disparitas* est, quia in statu conjunctionis animæ cum corpore, intellectus in operando dependet a phantasia, aut prævie aut simul operante phantasma: habitus supernaturalis non ita dependet a voluntate; quia hæc non prævie aut simultanee operatur actum naturalem; sed in actum supernaturalem, utpote vitalem, suum influxum habere debet.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS SUPERNATURALIBUS THEOLOGICIS.

ARTICULUS I.

QUID SIT VIRTUS THEOLOGICA?

31. *Nota.* Ut objectum formale *propter quod* dicatur etiam *quod*, requiritur non tantum, ut propter illud attingatur materiale objectum, sed ipsum etiam propter se attingatur, hoc est, in virtutibus Theologicis affirmetur vel ametur: ut autem sit formale *quo*, sufficit quod propter illud attingatur materiale, quamvis ipsum non attingatur. Sic in actu fidei, quo credo resurrectionem mortuorum propter divinam revelationem, hæc revelatio est objectum formale *quod*; quia propter illam non tantum affirmatur objectum materiale, scilicet resurrectio; sed ipsa etiam revelatio divina propter se hoc actu creditur. E contrario dum solvo alteri pecuniam, quia illi debeo, equidem jus alterius et mea obligatio est objectum formale propter quod illam solutionem præsto; non est tamen objectum formale *quod*, sed duntaxat *quo*; quia hoc jus et obligationem non attingo seu amo, cum sæpe quis vellet non dari illud jus aut obligationem.

32. *Dico.* Virtus Theologica est habitus virtutis per se infusus, immediate attingens Deum, tanquam objectum formale quod, saltem inadæquatam.

Explic. Dicitur 1^o. Habitus virtutis; quia loquimur hic de qualitate permanente et recepta in anima; non autem de actu virtutis, vel assistentia Dei extrinseca, aut auxilio transeunte. 2^o. *Per se infusus*; quia sermo est de virtute theologica supernaturali, quæ elevat potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales, nec per actus repetitos acquiri potest: unde et per modum potentiae se extendit ad plures actus et objecta materialia sub uno motivo; quod habitui acquisito etiam supernaturali, si daretur, non ita congrueret. 3^o. *Attingens*, h. e. per actum fidei affirmans, per actum spei aut